



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. S. Joseph sanctitas, virtutes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

2. Quia vir, & uxor, per conjugium sunt unum, & quasi una persona civilis: quare omnia habent communia, etiam proles legitime natus. Corn. hic.

Cum esset desponsata MARIA, &c. Matth. i. 18. Providetur sponsus, providetur maritalis species; ut celet miraculum, ut tegat signum, ut velet Virginis partum, ut crimini non det locum, ut furentis infidias sic eludat. S. Chrysost. l. 146.

Ex Patribus, & aliis.

Sicuti qui solum electione, & non jure sanguinis, ad regiam dignitatem ascendit; non minus a cunctis rex vocatur, nec minor ei obedientia, & honor, deferitur; quam si ex paterna hereditate regnum obtinisset: ita etiam, licet Joseph naturam pater CHRISTI non fuerit; tamen, quia ex CHRISTI electione in Patrem assumptus est, merito Patris adoptivi nomen sibi vendicare potest. Sanct. Joan. Damasc. Or. 13.

Cui datum est, quod multi reges, & Prophetæ, cum vellent videre, non viderunt; audire, &c. non solum videre, & audire; sed etiam portare, deducere, amplecti, deoculari, nutrire, & custodire. S. Bernardus hom. 2. sup. Miss.

Pie credendum est, non tamen asserendum, quod piissimus Filius Dei JESUS pari privilegio decoravit suum patrem putativum, sicut suam sanctissimam Matrem: ut sicut illam assumpsit in oculum in corpore, & animam gloriosam; sic etiam in die Resurrectionis suæ Sanctissimum Joseph. S. Bernardinus Sen. f. de S. Joseph.

Si Elisabeth exclamavit prophetice ad unicam MARIE salutationem; si exultavit præ gaudio Joannes infans in utero ejus: quid ex continua cohabitatione, & allocutione cum MARIA & puero JESU, justus Joseph acceperit divinæ consolationis, & illuminationis? quid dexteram illam bajulantem in ulnis speciosam formam præ filijs hominum, quando blandiebatur arridenti, quando condebat vagienti; quando frequenter sponso suo Joseph bajulandum, fovendum, osculandumque, tradebat, vidisse? Gerson. f. de Nat. B. V.

Franciscus Suarez 3. p. q. 29. disp. 8. Sect. 2. probabiliter opinatur, Josephum in gratia, & gloria, antecellere Apostolos & Joannem Bapt. quia ejus officium illorum officio præcellabat: plus enim est, esse Patrem, & Rectorem, CHRISTI, quam

Præconem, & Præcursores ejusdem. Cornelius in Matth. 1.

§. III.

S. Joseph Sanctitas, virtutes.

Cum esset justus. Matth. i. 19. Sanct. Hieron. vocari justum attendito propter omnium virtutum perfectam possessionem. Justus appellatio omnem virtutem complectitur. Sanct. Chrysostomus hom. 23. in Gen. Fidelis servus, & prudens, &c. quem constituit dominum suæ Matris solatium, suæ carnis nutrimentum; solum denique in terris magni consilij coadjutorem fidissimum. Sanct. Bernardus hom. sup. Miss. Justus ex Legge, justus ex bona voluntate, justus ex bona operatione. Et si nihil aliud ad testimonium suæ justitiæ: quod virgo, quod Virginis Matris sponsus, quod CHRISTI nutritus est electus, adiamentum facit. Simon Cass. l. 2. c. 16.

S. Joseph, qui tantopere in vita sua Deum, Deique Filium, amarat, aliam mortem nequibat mori, quam amoris. S. Francis. Sales. tr. de am. l. 7. c. 13.

Voluit occultè dimittere eam. ib. Humilians se ante tantam, & ineffabilem rem, quærebat se longè facere. Sicut Petrus: *exi a me Domine*: sicut Centurio, *non sum dignus &c.* sicut Elisabeth, *unde hoc mihi?* Sic & Joseph justè humilians sese, in omnibus cavebat, & timebat sibi met, tantæ sanctitatis conjunctionem adhibere. Origenes hom. 1. in diversis. Idem ait Sanct. Bernardus hom. 2. sup. Miss.

Virum MARIE. Matth. i. 16. Valde notandum: quod, cum Evangelista tot virorum conjugalium meminerit, nullum tamen uxoris suæ virum appellaverit. Non dixit Abraham virum Saræ &c. Solum autem Joseph, qui nunquam ad sacratissimam suam Sponsam accessit, & cum ea virgo permanit ad mortem. Hoc ut intelligas, nota 4. Reg. 4. 7. 9. 16. 21. 22. 25. 27. Eliseum sæpe virum Dei vocari, & etiam sæpe servum Dei: quod significatur, obsequio, & amoris Dei fuisse addictissimus. Ità dum Joseph vir Mariæ dicitur, intelligitur, eum magis dicatum, ac conservatum fuisse reverentiæ, purissimoque amoris, Sanctissimæ Virginis sponsæ suæ, quam alij Patriarchæ uxores suas dilexerunt. Diez conc. 1. in Nat. B. V.

